

1510 no libris auri CL. emerat, capiendum omnes suas quamprimum copias missurum, quo capto ipse quoque Rhodigium posse capere spem non ambiguam fovebat: arma deponere noluit. Senatus autem pluribus & literis & nunciis certior factus Aloisii præfectorum magnis equitatus & pediatus copiis coactis, in fines reipublicæ impetum brevi facturos, Lemniaco veritus præter milites sexcentos sub egregiis centurionibus, cives etiam Venetos e nobilitate quatuor cum militibus quinquaginta e plebe urbana singulos, commeatumque omnis generis, & res ad tormenta exercenda ignemque in fossis atque aggeribus ex inopinato excitandum idoneas, & sagittarum magnum numerum eo misit. Vanissa præterea ex Dalmatis homo fortis cum turma lectissimorum equitum octoginta, majore quam consueverat stipendio, ab Senatu accersitus, eodem se contulit. Ad Gradonicum quoque legatum auxilia ab exercitu submissa, ne si Alfonsus ad Rhodigianos oppugnandos, dum reliquus exercitus a Gallis alias reipublicæ fines tueretur, suas copias adduceret, imparior offendendi posset. Classi demum paucarum triremium, quæ erat Fossæ Clodiæ, naves breviores permultæ urbanis e suburbii educatae atque adornatae uti adderentur, quæ in Alfonsi fines se inferret, ejusque copias distineret, latum. Ad Vitellium vero, quem captivum permutatione facta, uti supra demonstratum est, Galli restituerant, Capinumque ejus propinquum, Pauli illius, quem Florentini Pisano bello imperatorem habuerant, securique percuferant, filium; quibus utrisque Senatus præfecturam equitum gravioris armaturæ CL. paulo antea dederat, atque illi eos equites in Tifernatibus municipibus suis jam confecerant; mari Fossam Clodium deportandos, naves in Flaminiam missæ: quibusque etiam milites quingentos ipsorum in finibus quamprimum conscribendi ad exercitumque adducendi, cura tradita. Eandem antea curam Citolo Patres dederant, ut e Perusia finibus mille octingentos milites educeret. isque jam numerus adventare dicebatur. Turmis insuper in exercitu reipublicæ plerisque redintegrantis, quæ qui-

Lemniacum
oppidum a
Venetis mu-
nitur.